



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 3. Sessio I. Concilii Tridentini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](#)

Sæc. XVI.  
A.C 1545.

§. III.

*Session I. Concilii Tridentini.*

*Labbe &  
Pallav. l.c.*

Finita hac oratione ex Legatis præpuis quasdam orationes in rituum libro, seu Romano, ut vocant, *Ceremoniali* præscriptas recitavit, præcipue vero illas preces, quæ ab his verbis *Adsumus Domine sancte Spiritus*: incipiunt, alta voce persolvit. Postea de cantatis Litaniis Diaconus Evangelium ex decimo octavo S. Matthæi capite desumptum perlegit, ab his verbis incipiens: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum &c.* Pallavicinus tamen testatur, quod *reapſe decantatum fuerit Evangelium S. Lucæ*, ubi septuaginta duo Discipuli a Christo eliguntur. Cantabatur etiam Hymnus de Spiritu sancto, cunctisque Patribus suas sedes occupantibus Alfonſus Sorilla, qui Cæſareæ Majestatis Legato ab epistolis erat, Principis sui literas produxit, ac pro iphius absentia cauſa allegavit adversam valitudinem, qua Venetiis erat obrutus. Prælegebantur ergo hæ literæ clara voce, allatamque Oratoris excusationem Cardinales Legati æquam esse censabant. His peractis Synodi Præses De-

cre<sup>m</sup>  
trum Suavem, ex quo Continuator hæc descripsit, egregie confutat, ac mendacii redarguit.

cretum, seu potius Synodicæ inductionis Sæcul. XVI.  
Bullam recitavit, ac sermone ad Patres A.C. 1545.

converso illos his verbis allocutus est:

*Placetne vobis ad laudem & gloriam sanctæ  
& individuæ Trinitatis, Patris, & Filii,  
& Spiritus sancti, ad incrementum & ex-  
altationem fidei & Religionis Christianæ, ad  
extirpationem hæresum, ad pacem & uni-  
onem Ecclesiæ, ad reformationem Cleri &  
populi Christiani, ad depressionem & extin-  
ctionem hostium Christiani nominis decernere  
& declarare, sacrum Tridentinum & gene-  
rale Concilium incipere, & incepsum esse?*

Responderunt: *Placet.*

Postea subjunxit Præses: *Cum proxi-  
ma sit celebritas Nativitatis Domini nostri  
Iesu Christi, & subsequantur aliae festivi-  
tates labentis & incipientis anni, placetne  
vobis primam futuram Sessionem habendam  
esse die Jovis post Epiphaniam, quæ erit  
septima mensis Januarii, anno Domini mil-  
lesimo quingentesimo quadragesimo sexto?*

Responderunt: *Placet.*

His ita approbatis Hercules Seve-  
rolus Synodi Promotor a Claudio de  
la Cara Verdunensis Diœcesis Clerico  
petiit, ut Scribæ instrumentum de re-  
bus hisce gestis conficerent.

#### §. IV.